QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 14 Decembris 1719.

M. EMMANUELE MAURITIO DUVERNEY, Regio Anatomes & Chirurgiæ in Horto Regio Parisiensi Professore designato, Doctore Medico, Præside.

An multis in morbis elucescat corporis Mechanismus?

I.

NIHIL magis opificis sapientiam & industriam probat, quàm si opus suum ad propositum finem optimè comparârit. Illud verò in humano corpore mirè elucescit, cujus artificium eò præcipuè spectat, ut in suâ crasi & texturâ, quamvis alioquin corruptioni valdè obnoxium, perduret & conservetur. Non malè machinam quamdam dixeris ad motus ususque speciales incredibili arte fabricatam, quæ juxtà leges & consilia summi Opificis accuratâ proportione, servatis gradibus, distinctoque temporum ordine in naturalibus actibus procedit. Non absimile exemplum, rude tamen, in vulgaribus machinis habemus Hæ motibus ad certum finem tendentibus instructæ sunt, quorum ratio, quantitas, determinationes à peculiari ipsarum fabricâ pendent, quod Mechanismum vocant. Sic in corpore vigenti & sano adest motuum organicorum symmetria & harmonia, undè sequitur sanguinis & humorum circuitûs æquabilitas, à debito fibrarum pulsu ac tono, & fluidorum quantitate, temperie, ac proportione dependens. In variis autem animantibus variam organorum fabricam, & diversam liquidorum indolem mireris, nempè pro finis ad quem condita sunt, & usuum quibus inservire debent diversitate. Ad hunc circuitum in corpore nostro sustinendum conspirant omnium partium structura, situs, connexio. Ex earum dispositione & mutuo consensu fluunt naturales animalesque functiones. Scilicet idonea conficiendo sanguini materia præparatur, dein sanguis ex eâ elicitur. Hic motu tùm progressivo, tùm intestino teritur, attenuatur, commiscetur intimè; ab omnibus expurgatus sordibus nutritioni partium inservire habilis evadit. Ex tenuissimis particulis liquidum illud subtilissimum subministrat, quo sensuum & motuum organa vigent. Quamdiù ergò sanguis purus & integer liberè corpus permeat, ac per vasa, nullo obstante impedimento, circuit, arcetur tùm ipsius, tùm manantium ex eo liquidorum inspissatio, stagnationes præcaventur, ritè peraguntur secretiones, sic nullus linquitur liquidorum depravationi locus, & servato ea inter & solidas partes æquilibrio, stat rythmus omnium functionum concentusque. His itâ se habentibus corpus sanum meritò nuncupatur. Notanda etiam particularis motûs sanguinis in diversis partibus variatio. Hanc facilè intelliges si modò æqualem, modò inæqualem impulsionis in certas partes, per eas propulsionis, & ex iis denique expulsionis vim observes. Vis illa in immensum mutari potest. Id non solùm deducas à tubulorum capacitate inæquali, variisque eorum superficiebus, directionibus, proportionibus, complicationibus. Ad diversam partium circumjacentium pressionem, & textûs vasorum contractilis astrictionem aut relaxationem attende. Ipsam quoque liquorum indolem ac temperiem seu vividam seu segnem repura, undè solidorum elater vel excitatur vel remittitur. Ex tot causarum actione multiplici, & vario concursu sequuntur multæ varietates. Sanguis è majoribus canalibus in plures minores ingrediens ibi ob multiplicatas superficies plus resistentiæ nanciscitur & contra. In obliquitatibus, curvaturis, ulteriorem particularum suarum divisionem patitur. Prætetea in variis locis, ut visceribus, glandulis, ratione

quâdam peculiari, nimirùm diametro vaſorum, & partis quam alluit ſingulari fabricæ, præſertim autem tono, conſentaneâ progreditur. Hujus præſertim ratione modò plus, modo minùs in hâc vel illâ parte premitur, exprimitur à quibuſdam, ad alias majori vel minori quantitate aut impetu appellit. In his plus minùs moratur. Variis denique modis urgetur, aut reprimitur. Indè ſecretionum quarumdam major aut minor quantitas, celeritas. His poſitis deducetur faciliùs variorum morborum ætiologia. Inſuper ſenſationes ad hoc homini datæ, ut quid ſalubre quid noxium ſit compendiariâ viâ intelligat. Sic famem quâ ad capiendos cibos, ſitim quâ ad potulenta aſſumenda impellimur, morbos quotidianos dixeris at neceſſarios, imò certos remedii indices. His ſalubri incommodo urgentibus monemur ea quæ decet ad reparandam ſive ſolidarum, ſive fluidarum partium jacturam proſequi. Cave autem ne pro naturali ſenſatione habeas quod aliundè acceſſit, ſive ex imaginationis aut ipſiûſmet organi vitio, ſive etiam, ut ſæpe fit, ex voluptatis nimiâ cupiditate. Adde quod experimur ſæpiſſimè, nimirùm unâ parte laborante trahi ſubitò in conſenſum vicinas, undè multoties mechanicum & naturale paratur remedii genus. Paucis id ſelectiſque ex magnâ multitudine exemplis innoteſcet. Præſto eſt gravato ventriculo, & ſe aliquali fibrarum ſuarum motu expedire nitenti, diaphragma ſuccuſſibus opportunis per ſuperiora noxiam ſarcinam ejectans unà cum muſculis abdominis connitentibus; vel deorſum ſubito conatu prorumpens ſubjecta viſcera validè premit, violento ictu, quantùm licet, ſi quid ea moleſtat exturbare conans. Auxiliares etiam muſculorum abdominis in partu & in excrementorum ejectione conatus valdè utiles. Nec minùs inſignes partium mutuam ſibi operam præſtantium in ſternutatione & tuſſi motus. Nempè cavitas abdominis ſubitâ ipſius muſculorum contractione coarctatur, undè etiam ſurſum repellitur diaphragma. Sic pectus ſimul comprimentibus muſculis expirationi inſervientibus valdè anguſtatur. Preſſis ergò undecumque pulmonibus aer forti exploditur impetu. Si naſi interiora humore quopiam vellicentur, per ea præcluſo oris aditu protrudetur aer, & venti vehementis more pertranſiens, ea verret & expurgabit. Quæris quâ mechanicâ id fiat? Septum quod palati partem poſteriorem occupat linguæ radici admovetur, ſic laryngis cum ore commercium prohibet. Sin autem oris cavitas, aut palatum, aut faucium pars ima abſtergi opus habent, id etiam efficiet aër per illas partes erumpere coactus, dum palati ſeptum, de quo jam, attollitur, & occludit accuratè naſi ductuum foramina, quæ in imam partem faucium deſinunt & reſerantur.

II.

LICET corpus noſtrum optimè ſit à ſupremo contextum artifice, eâ tamen lege vivimus ut propriis malis & alienâ experientiâ edocti, morborum mortiſque nos vectigales ſentiamus. Ad illa attendenti naturalis affulget de tot ac tantarum miſeriarum origine idea. Hanc firmat Religio, hominis nempè labem aſſignat ex quâ inter alias clades fluxit pathematum animi incredibilis quædam & vix ratione compeſcenda rebellio. Huic morborum iliadem adſcribas. Quantas enim ſtrages edunt non refrænata pathemata! Habent tamen, ſaltem plurima, ſi intra legitimos fines contineantur, tum ad ipſius corporis conſervationem, tum ad ſocietatis vinculum, ſuas à ſummè provido Creatore deſtinatas utilitates. Jam ipſis quibus reparatur alimentis corpus ad corruptionem & putredinem diſponitur. In fermentationem proclivia ſunt. Multas ſordes relinquunt in corpore. Hoc ex alvinis fæcibus aliiſque excrementis patet; videmus autem poſt obitum ſanguinem & humores, imò totum corpus ſolis oſſibus exceptis, brevi temporis ſpatio putreſcere. Excrementorum ſeparatio, & ad certum tempus intra corpus retentio ſuo quidem more ſanitati conducit, atque etiam neceſſaria eſt. Tamen facilem morbis anſam præbet. Sæpe enim morantur diutiùs, vel juſtâ proportione non ſeparantur, ex quo ſequuntur multæ affectiones. Hâc inter alias maxime de causâ dicas nos interna morborum ſeminia perpetuò fovere. Neque præterea mirum ſi machina tot conflata tubulis, tot irrigata fluentibus, tot motibus diverſis iiſque in unum conſpirantibus, exercita, infinitis propè modis lædatur ac

tandem aliquando concidat & diſrumpatur. Modò adaugetur nimis ſolidorum elater, & contenta fluida pellit vehementiùs, modò debilitatur, & plus æquo remiſſus minus verberat quàm par eſt. Sæpe etiam inuſitatis & à naturali ordine alienis motibus rapiuntur. Quin etiam liquores varia ſolent concipere vitia, ſanguis maximè. Vel enim compage principiorum ſolutâ malè cohærent, vel ipſorum moleculæ craſſitie & ſpiſſitudine excedunt, vel craſi & indole mutatâ acriores evadunt. Inſuper actione mutuâ & reciprocâ ex ſolidorum anomaliis pervertuntur fluida, ex depravatione fluidorum ſolida perturbantur. Sic affecto quâcunque de causâ utrolibet genere (quot autem cauſæ tum ab aſſumptis, tum ab animi pathematis, tum ab externis corporibus infeſtant!) peſſumdatur partium ſymmetria, turbatur ſanguinis circuitus, ſecretiones vitiantur, functiones labefactantur, hinc morbus. Non tamen ideò deſperandum. Cum motuum naturalium directiones, modos, gradus, tempora mutari vides, cogita liquores ab indole ſua deſciviſſe, nativas ſolidorum oſcillationes perturbatas intellige, latentemque peſtem ſubodorare. Ad eam depellendam idonei ut plurimùm inſtituuntur motus, machinâ ipsâ ſibi quantum poteſt organorum ſuorum viribus præſens auxilium ferente. Sic inter ea quæ perniciem corpori inferre aut minari videntur, ſalubria naturæ conamina ſæpè ſæpiùs deprehendas. Mirabilem ſanè organiſmi effectum qui etſi in nonnullis caſibus obſcurus ſit nec ſatis obvius, in aliis ſopitus aut penitus extinctus videatur, in quibuſdam conſpicuus eſt & evidens, iis præſertim qui genium morborum & naturæ in his niſus ac molimina perſpexêre.

III.

QUOD de morbo generatim dixit Sydenhamius eum eſſe conamen naturæ exterminationem materiæ morbificæ molientis, de multis revera morbis affirmari poteſt. Exemplum à febre deſumamus, morbo frequentiſſimo, qui non raro præſidio eſt. In eâ augetur motus ſanguinis tum progreſſivus tum inteſtinus. Spaſmo qui plerumque febrilis motûs initia occupat anguſtantur primùm vaſorum diametri, dein per eas increbreſcente cordis pulſu & ingeminatis arteriarum vibrationibus, valido abreptus impetu dividitur ſanguis, attenuatur. Quin etiam ſæpiſſimè auctâ ſimul ipſius partium fermentatione faciliùs eluuntur & diſſolvuntur viſcida, tolluntur obſtructiones, infenſi demum humores ad exitum parantur, & per emunctoria denique ejiciuntur. Sic febris liquores ſubigit, eorum moram vincit, circulum promovet, quod noxium eſt expellit, & ſecretiones alioquin perituras reſtaurat. Ephemeræ beneficio coqui humores, ſanguinem expurgari, heterogenea ſubigi ac per urinas aut ſudores expelli ferè omnes experiuntur. In ſynochis quibuſdam plethora imminuitur, ſanguis atteritur. Quam fluxilis ex his febribus evadat monſtrant ſudores critici. Plethoram verò indicant narium hæmorrhagiæ quarto vel ſeptimo die contingentes, quæ eſt criſis ſpecies in junioribus frequentior. Hæret in primis viis aliiſve abdominis viſceribus viſcoſa materia? Tertianæ aut quartanæ auxilio diſſolvetur, incidetur. Quidam ſuſpicantur in utrâque ſanguinem aſtricto corporis habitu ad interiora repreſſum, ex morâ & congeſtione ſerum ſuppeditare, quod viſcidæ illi materiæ eluendæ inſerviat, undè etiam frigus quartanarium longius ob majorem humoris tenacitatem. Furit bilis in inteſtinis? Ipsâ vellicatione ac fermentatione, humorum, lymphæ præſertim, affuſionem provocat, ut materia illa noxia temperetur, eluatur, & per varios viſcerum motus exprimatur, ut contingit in bilioſis febribus cum finem ſuum natura aſſequitur. Quàm neceſſaria ſit matura humoris evacuatio ex indole ipſius patet, ardores enim atque etiam excoriationes inſignes tum in faucibus ab hujus generis vomitu, tum in inteſtino recto ab ejuſmodi diarrhæis eveniunt. Ubi lympha acris & ad ſtagnationes prona partis alicujus eroſionem minatur, videas febres catharrhales dictas exitari, quæ leni & lentâ commotione, at regulari, lympham attenuant, quapropter ſeroſæ partes per diaphores in paulatim extrudentur. Sic abſtersâ & diſſipatâ materiâ prævertitur ſanioſa & ichoroſa ulceratio brevi ſphaceloſâ putredine excipienda. Sunt etiam qui opinentur febrem hecticam quæ ut ex ſchirro ita & ulcere

viſceris cujuſpiam oritur, aſſiduâ longâque, & moderatâ eâdem ſanguinis agitatione ad abſtergendam mali labem,ad ea quæ exacerbant diſſipanda & educenda conferre. Sic corruptionem imminentem quà licet arceri &ſummoveri dicunt. Jam in exanthematicis febribus, putà petechialibus, purpuratis & ſimilibus, huc ſpectat motus ſanguinis intenſior ut à centro ad peripheriam humor peccans propellatur. In his cæteriſque morbis ubi humor ad cutem vergit, repercutientia miniſtrare artis & artificis eſſet dedecus. Quæ verò humoris partem diſtrahere & aliò ducere valent, nonniſi cum ſummâ prudentiâ adhibenda ſunt. Notandæ imprimis variolæ,morbillis longe graviores. In utroque morbo inflammatio, in illo magis ſpectabilis. Per duos tres-ve priores dies, quod eſt ſeparationis materiæ tempus, particulæ inflammatæ digeruntur coquunturve, nimirum plerumque febris ope, quæ tunc præcipuè dominatur. Illæ deindè particulæ in habitum corporis ablegantur, ubi eas maturari neceſſe eſt, quod ut fiat febris auxilio opus eſt, quæ puri conficiendo inſervit, per exiguos cutis abſceſſus erupturo. Multùm in hoc morbo natura poteſt, quæ ſibi permiſſa ſæpè negotium ſuum ſuo tempore exequitur, materiamque debito ordine ac viâ ſecernit, tum etiam expellit, ut (in junioribus præſertim vegetiſque temperamentis) noſtrâ ope noſtris artificiis atque auxiliis non indigeat, ſuis viribus optimè inſtructa, ſuis opibus locuples ſuo denique ingenio ſatis edocta, ut medici in cognitione variolarum verſatiſſimi verbis utar. Non autem debet niſi ſenſim lentoque gradu fieri ſeparatio ut opportuniùs ad univerſalem quamdam deveniat deſpumationem. Nec nimium aſſurgat nec intempeſtivè minuatur ebullitio. Cum autem morbus ad alteram periodum pervenit, hoc eſt expulſionis tempus, moderatus calor decet, mediumque quoddam inter extrema ut priori tempore tenendum eſt. Frigus quidem puſtularum emptioni prorsùs nocet. Nec verò minùs noceat calor nimius variis modis expulſioni inchoatæ infenſus. Habes in variolis conſpicuam inflammationis ſpeciem, quæ tunc in papillis cutis ſedem habet. Hujus generalem theoriam deſideras? Finge animo ſanguinem ad partem affectam propulſum uberiùs, ut ſtagnantis portionis putredo præcaveatur. Nempè cruor arterioſus in minimis moratus canalibus, putà reticularibus arteriarum ramuſculis, vel lymphaticorum arterioſorum initiis, à fortiori reliqui cruoris motu atteritur. A ſanguine tum hærente tum copioſius affluente tumor. Calor ab agitatis quaquaverſum hujuſce particulis. Hic pro ſua fluxilitate etiam minutiſſima vaſa ſubire aptus eſt. Inde rubor exquiſitus ei planè ſimilis quem arte factæ injectiones exhibent, eæ ſcilicet in quibus liquor ad ultimos uſque vaſorum fines, non exceptis lymphaticis arterioſis, ſe inſinuavit. Cum autem ſic per fibras tenſas adeòque ſenſu exquiſito donatas trajiciatur ſanguis, dolor inde vehemens ſequatur neceſſe eſt. Hic à feriente continuo arteriarum pulſu augetur, acuitur, & pulſatorius redditur. Prætenſione enim vel leves divulſiones concuſſionum ingentium vim habent. Sic coagulatus ſanguis paulatim reſolvitur, eluitur quod corruptum eſt, & à cruore præterlabente penitus abripitur diſcutiturque. Ablatis tenuioribus & acrioribus particulis, quæ craſſior ſanguinis portio ſupererit, ſed attrita & ſubacta tandem in pus convertetur. Etſi autem nulla ſit inflammatio in quâ ſanguinis motus intenſior quamdam febris ſpeciem non exhibeat, hæc verò multo inſigniùs & validiùs ſe exerit, ſi ſanguinis ſtaſis in interioribus partibus ſive viſceribus contingat. Tunc enim majori motuum apparatu opus eſt, undè graviora ſymptomata. Ita diſcutiendæ ſtaſi ſanguinis in hepate, in ſplene, in plevra, in pulmonibus, in cerebri meningibus & aliis locis aptæ ſunt & utiles inflammatoriæ febres, ex variis partibus quarum occaſione naſcuntur, nomina ſingularia mutuatæ. Quò majus autem periculum, eò vehementiores motus ut in febribus peſtilentibus atque ipſa peſte, animadvertas.

I V.

MAGIS ac magis eluceſcet corporis mechaniſmus, ſi febrium quas in exemplum attulimus naturæ & effectibus periodorum atque etiam criſium accuratior notitia ſubjungatur. Periodi nomine venit circuitus ſive ambitus quidam quo temporis portio aut

tes quæpiam circumſcribitur, ita ut ab antecedentibus & conſequentibus diſtinguatur. Sic periodus in febribus vocatur tota illa duratio quæ univerſam febrem ab initio ad finem uſque, & ipſos adeò paroxyſmos comprehendit, cujuſmodi eſt in acutis duratio per ſeptenos, etiam ſecundâ & tertiâ quoque vice repetitos dies; nec verò univerſus ille tantùm ambitus ſeu duratio, ſed etiam ipſi paroxyſmi quos breves periodos vocare liceat, definita tempora obſervant. Quid enim aliud ſunt paroxyſmi niſi ſtatæ commotiones modò quotidiè modò interpoſitis diebus ſe ſubſequentes? Porrò conſtat illos iiſdem horis aut ſaltem quàm proximè ad eaſdem citiùs aut tardiùs, pro variâ ægrotantium naturâ aut diverſâ anni tempeſtate recurrere; etſi eorum vehementia remittat vel duratio brevietur. Tam regulares, tam ordinaras motuum ſeries à mechanicis legibus pendere manifeſtum eſt. Nimirùm in Phyſicis ut effectus quidam producatur certa cauſæ agentis deſideratur vis ac proportio, & determinato motuum numero opus eſt ac proinde definito tempore quo motus illi abſolvantur. Sic in inflammationibus ut certa ſanguinis qui in vaſis ſtagnat portio diſſolvatur, eluatur, potentia certa & motuum quantitas neceſſaria eſt, quibus ſanguis ad affectam partem impulſus eam liberet & ab obſtructione vindicet. Demonſtrat autem experientia ſeptem diebus hoc pleiumque peragi ope illorum ſanguinis circuituum qui per hoc tempus fiunt. Hinc ſeptimo die acutæ & inflammatoriæ febres ſolvi conſuevêre. In variolis, morbillis, petechiis, purpurâ ut materia acris cauſtica aliarum partium quas ſanguis ſuppeditat admiſtione temperetur, & ſic ad ſecretionem & per habitum corporis excretionem reddatur idonea, certum temporis ſpatium deſideratur, quod ſeparationis tempus nuncupari jam diximus, ſcilicet tres circiter dies. His elapſis materia peccans ab internis ad exteriora progreditur. Eſt etiam ſua puſtularum maturationi, de quâ jam egimus, definita periodus. Idem dicas de miaſmate peſtilenti febriumve contagioſatum materiâ, cujus correctio & evacuatio temporis menſuram & motuum quantitatem ſufficientem poſtulat. Inſignia verò morborum periodicorum exempla habemus in hæmorrhagiâ de quâ dicemus infrà, in arthritide, & aliis. Poteſt autem illud in univerſum de ejuſmodi morbis animadverti, mechanicas humorum commotiones, quæ iis affectibus provocandis ſunt idoneæ, tum præcipuè vim ſuam exerere cum in ſtata periodorum incidunt tempora; exempli cauſâ hæmorrhagia periodica conſueto tempore ex leviori cauſâ faciliùs quàm extrà illud à violentiori excitabitur. Magnam cum periodis affinitatem habet criſium theoria; ſi enim ſtati ſint morborum decurſus, cur non & ſolutiones? nempe cum vitioſus humor ita alterari nequit, ut cum reliquis jungi denuò & ſociari poſſit, eum expelli neceſſe eſt. Tunc variis præparatur motibus ut ſine noxâ per criſim, vel lentiùs, quod per lyſim dicunt, foras amandetur. Sic præparatum humorem à naturâ evictum dicit coctumque vocat Hippocrates. Criſis ergò quæ quidem morbi judicationem quamlibet generatim ſumpta ſignificat, ſtrictè accepta pro felici morbi ſolutione habetur. Eſt autem evacuatio ſufficiens & legitimo tempore contingens peccantis materiæ, quæ cocta, id eſt ad exitum antea ritè præparata fuit. Hæc evacuatio per certa corporis emunctoria peragitur. Solemnes viæ ſunt per ſudores, alvum, urinam, ſputum, hæmorrhagiam, abſceſſum. Suis quæque ſpecies dignoſcitur & prænùntiatur ſignis. Hæc, inquies, quoad Hippocratis regionem & ætatem valeant, nunc obſolevêre. Reſponſum habe è Baglivio, qui criſium infrequentiæ & mali ſucceſsûs cauſam ex eo deducit quod humores per diverſas remediorum ſeditiones diſtracti non poſſint ad criticæ deſpumationis negotium ſtato tempore diſponi. At verò etiamnunc ſpecimina habemus ſpontanearum evacuationum, quæ ſtatis contingunt temporibus, & corpori levando inſerviunt. In plerîſque morborum acutorum in quibus liquorum inſignis eſt fermentatio, certis diebus paroxyſmi inſtituuntur, hos verò ſequuntur quædam evacuationes. In tertianis intermittentibus & continuis febribus quæ paroxyſmis exacerbantur diebus imparibus id contingere videas, quibus violentiores motus & graviora ſunt ſymptomata. Scilicet primo die ſanguis mi-

nori motu concitatur, ac proinde febris mitior. At increſcit die tertio, & ſub paroxyſmi finem fit evacuatio quæ ſæpè in quarti initium incidit. Quod ſi violentior ſit quinto die paroxyſmus, ipſo illo die fieri ſolet evacuatio. In utroque autem febrium genere criſis ſæpè nonniſi ſeptimo die evenit, quia tunc major ſanguinis agitatio, unde gravior paroxyſmus. Prægreſſis enim fermentationibus principia ſanguinis multum evoluta fuêre, ideò evacuatione quæ paroxyſmum illum excipit commodè abigitur quicquid in ſanguine impurum eſt.

V.

LONGIUS eſſet morbos omnes qui Mechaniſmum corporis arguunt recenſere, eorumque hiſtoriam & naturam perſequi. Quot enim morbos, atque adeò ſymptomata reperias, tuendo vel reſtituendo corpori idonea! utrumque præſtat hæmorrhagia nunc critica, nunc periodica. Criticam dico eam quæ morbo jam facto ſuperveniens eum ſanat. In hoc cenſu reponas hæmorrhagias in plurimis febribus ac inflammationibus contingentes, cujuſmodi ea quam ſuperiùs in ſynochâ febre obſervavimus, aut quæ in hepatitide vel ſplenitide ante quartum diem accidit, atque etiam hæmorrhoides in plevritide & nephritide initio morbi largè fluentes. Periodicam voca eam hæmorrhagiæ ſpeciem quæ ſtatis temporum intervallis recurrit, & quæ potiſſimùm præcavendis plethoræ incommodis, & vindicandis ab obſtructione partibus inſervit. Frequens eſt viris vel ſingulis menſibus, vel poſt aliquot hebdomadas menſeſve repetens hæmorrhoidum fluxus. Ejus generis hæmorrhagiis ut plurimùm ſanguis quantitate excedens evacuatur, juvatur reliqui progreſſivus motus. Mechanici ſunt effectus, quorum ope certa ſanguinis quantitas per partem quamdam extruditur; ſcilicet eò pelletur ſanguis exundans, ubi minor eſt reſiſtentia. Quænam autem partes faciliùs cedent irrumpenti quàm quæ raræ ſunt & teneræ texturæ, & in quibus vaſa tenuiſſima undequaque diſperſa, nec obvoluta, at in ſuperficie collocata ſerpunt? id invenias in naſi membranâ interiori, ano, & partibus aliis per quas ſanguis excerni ſolet. Ad eas prætereà neceſſariò dirigetur, ſi liber ei aditus in quaſdam patere deſinat, vel ex fibrarum corrugatione, quâ vaſa capillaria comprimuntur, ſtringuntur, complicantur inter ſe, vel ex aliâ quâvis obſtruente causâ. Sic videmus aliquo canali obſtructo in cæteros apertos aquam redundare, & per eos fluere vehementiùs, ità ut etiam quandoque eos diſrumpat. His adde in quibuſdam corporis locis aſcenſum cruoris difficiliorem per venas ad perpendiculum diſpoſitas. Dum verò ſanguis versùs loca hæmorrhagiis deſtinata dirigitur, ſæpè in vicinis congeritur partibus, non ſuccedente variis de cauſis ipſius excretione, ut ſi ſpiſſitudine nimiâ irretiatur, vel copiâ ipſe obruatur ſuâ, vel obſtet anguſtia vaſorum, tardetve motûs debilitas. Quod ſi ſolitæ eruptiones ſiſtantur, incredibile dictu eſt quot phœnomena pariat ſanguinis qui excerni deberet coacervatio, qualis verbi gratiâ fit ex ſuppreſsâ narium conſuetâ hæmorrhagiâ, tum latè circa caput, tum in faucibus ac in ipſo quoque pectore. Pulſus circa collum & tempora validior, vaſa his locis plus ſolito conſpicua, faciei & tunicæ oculorum adnatæ rubor, internæ quaſi cujuſdam inflationis in capite ſenſatio, tenſivus, gravativus, ac punctorius dolor, quin etiam naſi & quandoque vultûs eryſipelas, parotides, inflammatio tonſillarum, angina, demùm plevritis, tot ex congeſto aliàs per nares erumpere ſolito ſanguine incommoda. Sic qui frequenti venæ ſectioni addicti fuêre, poſteà verò eam, vitæ interim genere non mutato, omittunt, in varios incidunt capitis, oculorum, dentium, aurium dolores. Viſi ſunt prætereà quidam in brachio cujus vena quondam pertundi conſueverat, ſymptomata ſingularia experti. A ſanguinis ad exitum non pervenientis congeſtionibus repete cephalalgiam ſanguineam, quæ narium hæmorrhagiâ ſolvitur, mala hypocondriaca, atque his affinia, quæ à copioſi & craſſioris ſanguinis congerie, ejuſque inæquali per venam portæ motu naſcuntur, & ſæpè ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus orta, certè iis fluentibus evaneſcunt. Melancholicis autem prodeſſe hæmorrhoides, eaſque delirium ſolvere, & à multis aliis morbis liberare teſtatur Hippocrates. Hinc etiam jubet diuturnas curantem hæmorrhoidas unam ſervare, ne in hy-

dropem aut tabem incidat. Enimverò solitum hæmorrhoidum fluxum etiamsi nimius sit, validioribus stypticis & narcoticis sistere periculosæ aleæ plenum opus est. Sanguinis copiam & impetum minuere, & determinationem aliquatenùs mutare tempestivâ venæ sectione conceditur. Hîc quoque præcipuè refrigerantibus, diluentibus, aliisvè alterantibus locus est. Lienosis dysenteriam prodesse affirmat etiam Hippocrates. Ut autem ad febrem redeamus, eam ebrietati, apoplexiæ, convulsioni & tetano mederi affirmat. Juxtà eumdem hypocondriorum dolorem inflammationis expertem, nempè ab obstructione vel flatu, vel simili causâ productum solvit. Quartana verò melancholiam, lepram, scabiem abigit, epilepsiam antevertit, & sanat. Sic morbus morbum tollit. Idem præstant plurima symptomata. Est enim convulsio quæ febrem solvit eâdem die aut alterâ, vel tertiâ. Quæ autem variolarum eruptionem præcedunt convulsiones, nisi vehementiâ & diuturnitate excedant, eam promovent; ab iis enim variolæ postmodùm longè tranquilliùs & securiùs totum cursum absolvunt. Ità paroxysmos epilepticos in infantibus dentitione perfunctis pro instantium variolarum signo habet Sydenhamius. Eas tunc mites esse, ac boni moris, pustulas conspicuæ magnitudinis emittere, nec ferè unquam confluere observat. Quæ autem convulsiones variolis jam prodeuntibus superveniunt, quamvis à materiæ retrocessione sæpè oriantur, possunt tamen aliquatenùs haberi pro naturæ conatibus per ejusmodi succussus ad materiæ infensæ excretionem contendentis. Ad eam peragendam si minùs valida sit, ut solet, prudentiæ Medici erit roborantibus remediis opportunè & cautè adhibitis suppetias ferre. Pari ratione in epilepsiâ, quæ est summus motuum convulsivorum gradus, imprimis in sympathicâ, laboriosos ad amovendum noxium humorem nisus & conatus naturæ luctantis non ineptè agnoscas. Dolor etiam ad corporis conservationem conferre potest, acerbum quidem symptoma, at utile, ut quod de morbo certiores nos faciat, & ad eum depellendum naturam provocet. Scilicet fibræ nerveæ variis vellicatæ modis violatam partium œconomiam, liquorumve temperiem depravatam significant, nec ullum contra omen funestius quàm ubi malum salubri illo monitore renuntiari desinit, ut in gangrænâ & sphacelo contingit, quæ doloris expertia sunt, licet quæ præcessit inflammatio aut dilaceratio gravissimos intulerit cruciatus. Dolor ergò legis optimæ & ad prævertendam machinæ ruinam utilissimæ tristis simul & necessaria est conditio. Hujus molestias tolerare decet, non incusare; & cùm corrigere nefas sit, facere patientiâ leviores. Verùm si dolor nimius urgeat, in promptu habes anodyna, præstantissimum, si aptè collocetur, remedii genus, quod dolores compescendo sæpè ipsum morbum cujus occasione nati sunt sanat, aut saltèm ejus sanationi dat locum, solidorum ataxias, & humorum motus effetos ad naturalem ordinem blandè & amicè revocans. Sunt prætereà dolores quos ex merâ læsionis necessitate contingere non dicas, nec symptomatis annumeres, cùm crisim prænuntient. Sic in prorrheticis, hypochondrii tensio cum capitis gravitate & surditate, & quæ consequenter fatigant, sanguinis prænuntiant profusionem. Quosdam pro criticis habeas, eos scilicet qui partes ignobiles pervadunt, & exercent diu, maximè si nullis infelicibus stipentur signis, & adsint coctionis indicia, unde oriuntur sæpè salubres in extremis partibus tumores. Hinc Hippocrates labores qui fiunt in articulis non inutiles asserit. Optimi ergò, ut Prosper Alpinus notat, dolores pedum, crurum, coxendicum, inguinum diu durantes, nec minùs in brachiis, manibus, & post aures criticè observati; & qui ad crura fiunt abscessus in vehementibus ac periculosis pulmoniis omnes utiles sunt. Quantum autem adversùs morbos acutos auxilium præstet arthritis, quotidiana probat experientia. Porrò multos tumores & abscessus licet criticos appellare, cùm & priorem morbum solvant, & symptomata mitigent, hi in morbis chronicis frequentiores. Quid? passim in Hippocrate exempla utilium symptomatum invenias, sic sternutarione singultus, vomitu vomitus, & diuturnum alvi profluvium, tremore delirium quandoque solvuntur. Sed modus in vasto ac propè infinito argumento servandus. Jam quævis ætas, quodvis temperamentum ex se ad certos morbos mechanicâ quâdam dispositione propendet. Sui sunt etiam

749

cuique sexui morbi peculiares. Fœmineus imprimis periodicis affectuum variorum præsertim hæmorrhagicorum typis est obnoxius. Si temperamenti ratio habeatur, intelligetur facilè phlegmaticos affectibus catarrhalibus, febribus biliosis cholericos, plethoræ & inflammationi sanguineos, melancholicos hæmorrhagiis & hypochondriacis malis præcipuè patere. Quod ad ætates spectat, generalis morborum qui in singulos cadunt differentia à parte potissimùm affectâ desumitur. Nempe in pueris & adolescentibus caput, pectus in juvenibus, sequenti posthac ætate hypochondria, ac deinceps lumbos, os sacrum & coxas, pedes denique tentari observantur. De temporibus notant, si constantia sint & anni tempestiva exhibeant, boni moris & judicatu faciles evenire morbos, sin autem inconstantia sint, inconstantes, & qui difficulter judicantur. Priores enim genium suum & naturalem indolem servant, unde consueris symptomatibus stipantur, sua tempora legitimè percurrunt, & criticis diebus usitaris solvuntur. Malè nobiscum actum esset, in tot morborum quibus obsidemur causis, nisi sæpè unius vis alteram extremam temperaret. Rarò autem concurrunt plurimæ morborum causæ, inde fit ut rariùs difficiliùsque ægrotemus. Quin etiam tradit Hippocrates in morbis minùs periclitari quorum naturæ, ætati, habitui, & tempori congener est magis morbus, quàm quibus nullâ ex parte est consentaneus. Unde autem ? nimirum illi morbi minùs à naturæ linea recedunt, quippe ex omni parte analogi. Ex iis quæ de variorum morborum naturâ, effectibus, periodis, solutionibus dicta sunt patet humani corporis machinam ita fabricatam esse, ut sibi sæpè ipsa succurrat, se ipsa tueatur. Quâ autem ratione id fiat, quibus legibus quædam partes aliis auxilientur, multis in casibus obscurum est. Sic observant pedum frigore alvum pigram solvi, ophtalmiam alvi profluvio sanari, hæmorrhagiam salubrem in hepatitide è nare dextrâ, in splenitide è sinistrâ fieri. Tales consensus ac veluti sympathias non facilè exponas. Forsan olim novæ circà praxim medicam, sive partium fabricam & œconomiam animalem observationes, rem adhuc densis obsitam tenebris aperient. Intereà ad motus illos naturæ quicumque sint, sive evidentiores sive abstrusi, attendere debet Medicus, ut qui naturæ æmulus, adjutor, ministerque sit. Nullum enim plerumque remedium eo convenientius, quod suis indicat natura moliminibus. Intendat igitur animum in distinguendis quæ à morbo fiunt commotionibus ab iis quæ propter morbum instituuntur. Neque enim idcircò motum quemquam pro insalubri habeas, quod in statu sano non eveniat. Materia extranea, insolens, sanitati infensa non usitatos motus postulat. Bonum ergò dicas quod ei discutiendæ & ejiciendæ aptum est, & reverâ inservit. Prostat autem sufficiens exemplorum numerus, quibus tales motus seu conamina naturæ comprobentur.

Ergò multis in morbis elucescit corporis mechanismus?

Domini Doctores disputaturi.

M. Claudius Brunet.
M. Ludovicus de Santeul.
M. Emmanuel Mauritius du Verney, Actûs Præses.

M. Lud. Claudius Bourdelin.
M. Michael Ludovicus Vernage.
M. Joannes-Franciscus Leaulté.

M. Raymundus-Jacobus Finot.
M. Philip. Bern. de Bordegaraye.
M. Jacobus-Simon Gilles de la Riviere.

Proponebat Parisiis PETRUS MALOET, Claromontanus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1719. à sexta ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.